

Me notario infrascripto nichilominus solemniter stipulante ac recipiente promissiones et obligaciones predictas pro parte omnium quorum interest et poterit interesse. De presenti autem contractu facta sunt per manus mei subscripti notarij de mandato voluntate ac requisitione dictorum domini Regis et Principis duo publica consimilia instrumenta unum videlicet ad cautelam ipsius domini Regis et aliud ad cautelam Principis memorati. Sigillis eorumdem domini Regis et Principis neconon dicte utriusque domine Regine pendentibus ac infrascriptorum aliorum testium subscripcionibus roborata superioribus eorum marginibus sibi correspondentibus invicem per licteras grossas abecedarij per me de super ibi scriptas et deinde per modum ex transverso divisas non obstante quod hanc supscriptionem et divisionem licteralem non consueverim actenus facere in confectis alijs per manus meas publicis instrumentis. Quodque secundum ritum que servant publici apostolica auctoritate notarij testes non sunt soliti de subscribere in instrumentis per ipsos notarios eadem auctoritate confectis. Cum ijdem dominus Rex et Princeps voluerint mandaverint et requisiverint quod pro pleniori eorum cautela quantum ad hec usum stilum solitum et ritum huiusmodi excederem seu pretermitterem in ipsis[duo]bus publicis consimilibus instrumentis.

Actum in camera regia Domus Sane site in pertinencijs Castri Maris de Stabia presentibus dicta utraque Regina neconon venerabilibus in Christo patribus dominis Francisco Gaietano et Petro Rapollano Episcopis ac prefatis domino Johanne Pipino et domino Guillelmo de Bosco testibus premissorum.

Ego frater F[ranciscus] Episcopus Gaietanus qui supra testor.

Ego frater Petrus Episcopus Rapollanus qui supra interfui et manu propria scripsi.